

tempore, quo semel malus extitit, non autem respectu temporis antecedentis: ut proin licet tabellio falsarius etiam in futurum præsumatur talis, indeque removeri debeat. I. *Si aliquid. C. de Suscept. cum concord.* non tamen præsumitur retro falsarius quoad instrumenta ante compertam falsitatem contracta. Et ex his.

11. *Verus sensus regulæ, quis?* — Resp. II. Verus sensus regulæ sequens est: « Semel in aliquo genere delicti inventus malus, in eodem genere semper præsumitur malus præsumptione juris tantum, vel hominis, nisi de vera emendatione sufficienter constet. » Ratio regulæ est; quia ex præteritis præsumitur de statu præsentis et futuro c. *Mandata 6, de Præsumpt.* ibi: « quia ex transacta in te vita didicimus, quid de subsequenti conversatione tua præsumamus, cum concord. » Hinc illi antiqui versiculi:

Rumor de veteri faciet ventura timeri;
Cras poterunt fieri turpia sicut heri.

12. *Emendatio tanquam facti non præsumitur, sed probari debet.* — Nec valet dicere, forsitan se jam plene emendavit, et animum mutavit; quia emendatio est facti, consequenter non præsumitur, sed ex actibus contrariis probari debet. I. *Ei, 2, ff. de Probat.*

13. *Quilibet habendus est bonus, donec probetur malus, non procedit, quando quis jam semel fuit malus.* — Pariter non valet obicere illud tritum juris: « Quilibet præsumendus est bonus, donec probetur malus. » c. un. *de Scrutin.* et l. *Merito. 51, ff. Pro socio.* Resp. enim tritum illud procedere, quando actus malus non præcessit, et bonam illam præsumptionem non enervavit; hoc enim præcedente præsumptio de simili valet, donec emendatio, quæ tanquam facti non præsumitur, probetur, cit. l. *Ei, 2, ff. de Probat.*

14. *Fallentiæ regulæ, quæ?* — Quæritur II. An? et quæ sint fallentiæ, seu exceptiones contra hanc regulam? Resp. Eam juxta aliquos fallere 1, in genere diversi delicti juxta dicta n. 6, 2, in casu, quo quis in principio duntaxat, sed non in fine actus malus fuit, per dicta n. 8, 3, si de vera emendatione sufficienter cõnstat, per dicta n. 9. Verum cum juxta dicta hi casus in regula non comprehendantur, fallere contra eam proprie dici non possunt.

15. *Semel contumax cur denuo citetur?* — Obijciunt alii, et loco fallentiæ ponunt casum

contumaciæ; semel enim contumax non semper præsumitur contumax; cum peremptorie citatus, si non comparet, denuo citetur c. *Ex litteris, 2, de Dolo et contum.* quod necessarium non esset, si illum in contumacia perseveratorum rite præsumeretur. Sed resp. quod secundo citati et non comparentis contumacia gravior sit, et gravioribus pœnis subjaceat, quam primo citati, indeque jura velint, ut per secundam citationem contumacia magis appareat: vel concedo in hoc casu fallentiam regulæ.

16. *A perjuro recipitur juramentum in suum gravamen, sed non in sui commodum, vel aliorum præjudicium.* — Obijcitur ulterius: Juramenta calumniæ, fidelitatis, et obedientiæ etiam a prius perjuris exiguntur et recipiuntur c. *Cum in ecclesiis. 10, de Major.* ergo semel perjurus non præsumitur semper perjurus. Resp. cum. Gloss. in cap. *Cum in ecclesiis. 7 Juramentum.* et Abb. n. 4, hoc procedere de juramentis, quæ cedunt in præjudicium ipsius jurantis, illumque onere et obligatione gravant: non item in juramentis cedentibus in jurantis commodum, et aliorum præjudicium; et in hoc sensu fallentia conceditur.

REGULA IX.

RATUM QUIS HABERE NON POTEST, QUOD IPSIUS NOMINE NON EST GESTUM.

1. *Regula unde desumpta?* — Hæc regula desumitur ex c. penult. *de Sentent. excomm.* in 6, et convenit cum l. *Si pupilli. 6, § Sed si ego, 6, ff. de Negot. gest.*

2. *Ratum habere proprie quid sit?* — Quæritur I. Quomodo hæc regula intelligenda, et quis verus illius sit? Ante responsionem notandum: Ratum habere aliquid nil aliud esse, quam approbare, comprobare, confirmare, et ut suum agnoscere id, quod per alium nostro nomine gestum vel factum est, non habito a nobis ad hoc faciendum mandato, commissione, aut requisitione; seu quod per alium non procuratorem nostrum nomine nostro factum est. I. *Quod enim. 12, § 1, ff. Ratam rem habere.* qua ratihabitione rem, seu negotium gestum ita nostrum facimus, quasi a nobis ipsis gestum, aut ad id mandatum datum fuisset, uti dicitur in regula statim sequenti ita sonante: « Ratihabitionem retrahere, et mandato comparari non est dubium. » Hoc notato

3. *Regula intelligenda est de propria ratihabitione.* — Resp. I. Regula 9, dicens, quod ratum habere, seu ratificare nemo possit illud, quod suo nomine factum non fuit, intelligenda est de propria juridica ratihabitione, seu ratificatione cum juris effectum, quæ fictione juris translative rem quasi a nobis gestam efficit, nostramque facit, ac proin juris effectus, et obligationem nobis incumbentem inducit: Non vero de simplici ratihabitione, qua quodvis factum alienum non nostro sed alieno quocunque tandem nomine gestum approbare, gratum et ratum habere possumus, v. g. si quis tuum inimicum non tuo, sed alio nomine, vel ex proprio odio occidit, potest quidem factum homicidium simpliciter approbare, gratum et ratum habere (licet sic approbando pecces) tamen fictione juris homicidium quasi a te factum, sicque tuum non redditur, nec pœnas et obligationes ex homicidio consequentes contrahis. Ratio est; quia ad ratihabitionem juridicam proprie talem, seu quod quis factum alienum ratum habeat in sensu regulæ, essentialiter requiritur, ut factum sit nomine ratihabentis, arg. cit. c. penult. *de Excomm.* in 6, et l. *Si pupilli cum concord.* citatis a Tiraquello *de Retract.* lig. § 1. Gloss. 9, n. 24, quo tanquam essentiali requisito deficiente ratihabitione non datur, consequenter sic factum proprie et cum effectu juris ratum haberi non potest, id ipsum, quod dicitur Regula.

4. *Probatur exemplo juris.* — Probatur et declaratur responsio ulterius clarissimo multum allegabili exemplo juris c. *Cum quis. 23, de Sentent. excomm.* in 6, ibi: « Cum quis absque tuo mandato manus iniecit in clericum tuo nomine violentas, si hoc ratum habueris, excommunicationem latam a canone incunctanter incurris; cum ratihabitione retrahatur, et mandato debeat comparari. Si vero injectio eadem tuo nomine non sit facta, tunc licet pecces ratam habendo eandem, non tamen propter hoc excommunicationis vinculo innodaris; cum quis ratum habere nequeat, quod suo nomine non est gestum. »

5. *Verus sensus regulæ, quis?* — Resp. II. Verus sensus regulæ iste est: « Nemo potest factum alienum proprie ratum habere cum effectu juris, ita ut hujus fictione translative censeatur suum factum, indeque effectus juris inducat et obligationes ratihabenti imponat, si tale factum non ratihabentis, sed suo proprio, vel alterius nomine peregit. »

Per rationes et jura jam allegata; cui accedit etiam illa ratio, quod si quis ratum habere valeret id, quod ipsius nomine non est gestum, facile præjudicium emergere posset tertio, cum quo negotium gestum est, cum his forsitan ex justa causa negotium cum tali habere nolisset, ac propterea, si scivisset, negotium nomine illius agi, a negotio, v. g. contractu abstinuisset.

6. *Afferuntur apparentes, sed non veræ fallentiæ contra regulam.* — Quæritur II. An? et quales dentur fallentiæ circa hanc regulam? Resp. Plures afferri a quibusdam, veluti *Primo can. Lugdunensi. 10, cau. 9, q. 2.* ubi habetur, quod ordinati ab alieno episcopo (etsi ordinatio ipsius ordinarii nomine facta non sit) possint ministrare in ordine suscepto, si proprius episcopus ordinationem ratam habet. Ex quo satis apparere videtur, ratihaberi posse etiam illa, quæ nomine nostro gesta non sunt.

7. *Secundo, vigore c. Quod sicut. 28, 7 Quod si, de Elect.* Capitulares absentes a presentibus non vocati, sed contempti, ratificare possunt electionem, licet eorum nomine non fuerit celebrata.

8. *Tertio. c. Cum nos. 3, De his, quæ fiunt a prælati sine consensu capit.* dicitur, quod alienatio valeat, si eam ratam habeat capitulum, etsi minime ipsius nomine, sed eo positive reclamante fuerit facta, ibi: « Nisi eam ratam postmodum habuisset. »

9. *Quarto, vi l. 1, ff. de Recept. et l. 1, C. De his, qui latron. receptores furum puniuntur ex eo, quod sua receptione videantur furta ratificare, licet eorum nomine facta non sint.*

10. Verum præfata et similia quantumvis videantur adversari regulæ, eamque in illis fallere, re tamen bene inspecta eidem sufficienter conciliantur, sicque hanc in illis fallere merito non existimatur. Et quidem ad tres primas apparentes fallentias, resp. cum Gloss. hic: « Talia jura non loqui proprie de ratificatione, sed de novo quodam consensu. » Et merito, quia cum ex dictis ratihabitione proprie sumpta id operetur, ut ratificans per fictionem juris censeatur auctor illius actus, quem suo nomine factum ratificavit, ac proin ex eo obligationem contrahat: hoc autem non evenit in præmissis casibus, utpote in quibus aliquis actum suo nomine non factum, superveniente consensu approbat duntaxat et quandoque confirmat (si nempe is a sola potestate et consensu hujus dependet).

Vide Laym. in c. *Eos, qui, de Tempor. ordin.* in 6, et c. *Prudentiam de officio iudicis delegati*, num. 2. Et sic intelligenda etiam venit Glossa in c. *Sicut 33, de Simon.* dum ait: « Et ita secundum canones possum habere ratum, quod non meo nomine gestum est. »

11. Ad quartam de receptoribus furum resp. quod eos, quia veniunt in partem prædæ, et fures occultant, cum eis consentire, illosque fovere potius, quam ipsorum rata habere furta censeatur. Pech., in hanc reg., c. 2.

REGULA X.

RATIHABITIONEM RETROTRAHI, ET MANDATO NON EST DUBIUM COMPARARI.

1. *Regula unde desumpta?* — Hæc regula pariter desumitur ex c. penult. *de Sentent. excom.* in 6. Idem ex l. *Si fundus 16, § 1, ff. de Pignor.* et l. 1, § *Dejecisse 12, ff. De vi et vi armata*, cum concordant. a Glossa relatis hic et intelligenda est de ratihabitione propria in regula præcedente, num. 3, jam declarata.

2. *Ratihabitione æquiparatur mandato.* — Quæritur I. Quid proprie dicere velit hæc regula, quomodo intelligenda? et quis verus illius sensus sit? Resp. I. Eam proprie id dicere velle; quod, quando aliquis tuo nomine quid facit, etiamsi a te mandatum, vel commissionem id faciendi non habeat, tamen, si postea illud ratum habes, seu ratificas et approbas, idem sit, et eadem sequantur juris effectus; ac si mandatum, illud faciendi eisdem expresse dedisses; consequenter propria ratihabitione expresse mandato æquiparetur per jura n. 1, citata: quod de omni actu et contractu, imo etiam de ipsis delictis intelligendum est, arg. cit. c. penult., *de Sentent. excom.* in. et l. 1, § *Dejecisse, ff. De vi et vi armata*, dummodo delictum sit tale, quod nomine alterius committi potest: secus est in delictis quæ nomine alterius fieri nequeunt, uti sunt delicta libidinis, adulterium, stuprum, etc, hæc enim sicut alteri mandari nequeunt, ita etiam ab alio facta proprie ratihaberi non possunt, bene advertit Gloss. in cit. § *Dejecisse, §. Mandato.*

3. *Et retrahitur ad tempus et locum, quo actus nomine ratihabentis fuit gestus.* — Porro ratihabitione non tantum æquiparatur mandato, sed etiam retrahitur tam ad tempus quam locum, in quo actus nomine alterius

fuit gestus, ita ut actus non primum a tempore ratificationis, sed jam a tempore et die, quo alterius nomine fuit gestus, validus esse, et affectum suum habere censeatur, uti pro indubitato habet regula nostra; patetque ex cit. 1. *Si fundus, § 1, ff. de Pignor.*, et propter contractum nomine suo gestum, et ratihabitionem non in loco ratihabitionis, sed in loco actus gesti quis forum sortiatur, ut cum aliis bene advertit Barbo. in hanc reg. n. 10, arg. l. *Cum decem, 71, § 1, ff. de Solut.*

4. *Ad quod tamen requiritur primo ut sit ratihabitione proprie talis.* — Verum ut ratihabitione præfatos operetur effectus plura requiruntur, veluti primo, ut ratihabitione sit proprie talis, qua ratihabetur, seu approbatur actus vere nomine ratihabentis gestus, quia « Ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum, » uti habet regula præcedens.

5. *Secundo: ut actus tempore, quo fuit gestus, potuerit a ratificante mandari.* — Secundo, ut eo tempore, quo actus gestus est, potuerit a ratificante mandari: defectu cuius negotium nomine infantis, vel furiosi gestum ab illis etiam cessante impedimento ratihaberi nequit; quia ab eis tempore, quo gerebatur negotium, mandari non potuit. Barbo. hic, n. 2 et 3. Abb. in c. *fin de Convers.* in fin. cum communi aliorum. Et ratio est, quia ratihabitione rei alienius mandato comparari non potest, quæ mandari nequit.

6. *Tertio, et res tempore ratificationis adhuc sit integra.* — Tertio requiritur, ut tempore ratihabitionis res adhuc sit integra, id est, omnia adhuc in eo statu existant, in quo fuere tempore, quo actus nomine alterius fuit gestus. Bart. in l. *Si uxor, § Si quis uxorem 3, ff. de Adult.* Barbo. in hic, n. 7, arg. c. *Quamvis 8, de Rescript.*, in 6. Hinc etiam non valet ratihabitione, si intermedio tempore, aut alias jam fuit quæsitum jus tertio, ut eidem injuste præjudicaretur. Barbo. hic, num. 8, cum communi aliorum, arg. c. *Quamvis 5, et c. Si pro te, 13, de Rescript.* in 6, juncta l. *Si partem 19, § ult., ff. Quemadmodum servitutes.*

7. *Quarto, ut actus ab initio non fuerit invalidus.* — Quarto requiritur, ut actus ab initio de jure non fuerit invalidus ex defectu conditionis vel solemnitatis a mea potestate non dependentis, uti pro regula generali ad propositum post Abbatem, et Innocentium in c. *Prudentiam 21, de Officio iudicis delegat.*, tradit ibidem. Fagn., n. 2; Laym.

in c. *Nonnulli, 28, § Sunt et alii, de Rescript.*, n. 4, ubi plura exempla ad propositum refert; quia ubi actus ab initio ita invalidus est, intrat regula 18, juris in 6. « Non firmatur tractu temporis, quod ab initio de Jure non subsistit. »

8. *Regulae verus sensus quis? Declaratur exemplis.* — Resp. II. Verus sensus regulæ hic est: Quocumque aliquid ab alio nomine nostro gestum postea ratificamus, et approbamus, idem est, et eosdem habet effectus juris, ac si a nobis ei prius expresse fuisset mandatum, seu verum ad id dedissemus mandatum. Per Jura num. 4, citata, patetque juris exemplis: sic enim v. g. si quis rem aliquam sine meo mandato, nomine tantum meo emit, et possessionem ejus accipit, et ego postea ratam habeo, seu ratifico, approbo emptionem, idem acquiri dominium et possessionem rei, ac si a procuratore expressum mandatum ad id habente fuisset emptum, arg. l. *Si ego 24, ff. de negot. gest.*

9. Item si quis sine meo mandato, nomine tamen meo percussit clericum, et ego postea ratum meo, æque excommunicatus sum, ac si prius ad id dedissem mandatum, textu expresse c. penult. *de sentent. excomm.*, in 6. Sic rursus, si alius me etiam in scio, sed meo nomine aliquem dejecit a possessione, et ego hoc postea ratifico, perinde teneor interdico unde vi ad possessionem restituendam et resarcienda damna illata, sicut tenerer, si id a principio mandassem, c. *Cum ad sedem 15, de restit. spoliat.*, l. 1, § *Sed etsi, 14, ff. De vi, et vi armata.*

10. *Fallit regula, si deest unum ex requisitis.* — Quæritur II. An et quæ dentur fallentia circa hanc regulam? Resp. Eam fallere primo in illis casibus, in quibus deest unum ex necessario requisitis a num. 4, allegatis.

11. *Item quando ad substantiam actus expressum requiritur mandatum.* — Secundo, quando expressum mandatum requiritur ad formam et substantiam actus, vel in vim auctoritatis; cum ista per ratihabitionem non suppleantur, c. *Cum dilecta 22, de Rescript.* et ibi Felin., num. 6; Barbo. hic, n. 16; Surd. decis. 159, num. 110.

12. *Item quoad incurrendam irregularitatem.* — Tertio, fallit quoad irregularitatem incurrendam ad homicidium per alium meo nomine factam, et a me ratificatam, uti docet Gloss. in can. *Si quis viduam, 8, dist. 50;* Covar. in Clement., *Si furiosus, p. 2, § 1,*

n. 5; Barbo. hic, n. 17 et alii ab eodem relati contra Navarr. in manu., cap. XXVII, n. 233.

REGULA XI.

CUM SUNT PARTIUM JURA OBSCURA, REO FAVENDUM EST POTIUS, QUAM ACTORI.

1. *Regula unde desumpta?* — Hæc regula desumitur ex l. *Favorabiliores, 125, ff. de Reg. ur.*, ibi: « Favorabiliores rei potius, quam actores habentur. » Cui concordat c. *Ex litteris, 3, probat.*, ibi: « Cum promptiora sint jura ad absolvendum, quam ad condemnandum, præterquam in liberali causa. » Item c. *Inter dilectos, 6, de Fide instrum.*, in fin. ibi: « Cum obscura sunt jura partium, convenit contra eum, qui petitor est, judicari. »

2. *Nomine partium in regula intelliguntur actor et reus. Actor quis dicatur?* — Quæritur I. Quomodo intelligenda sit regula, et quis verus illius sensus? Ante responsionem explicare prius oportet terminos in regula positos. Notandum itaque per *Partes* in regula intelligi *actorem et reum*; in omni siquidem iudicio vel processu præter iudicem concurrunt actor et reus. Actor est et dicitur, qui alterum ad iudicium provocat, et rem aliquam ab eo præstandam petit, l. *In tribus, 13, ff. de Judicis*, qui propterea a petendo etiam petitor nominatur cit. c. *Inter dilectos, de fide instrum.*, in fine. In processu autem criminali accusator vocatur.

3. *Reus quis?* — Reus, in genere loquendo, non pro criminoso, et delinquente sumitur, sed a re, quæ ab eo petitur, sic nominatur, ita ut in sensu regulæ omnis ille dicatur reus, a quo aliquid ab actore etiam iniuste petitur c. *Forus de Verb. signif.*, ibi: « Reus a re, quæ petitur, nuncupatur; quia quamvis conscius sceleris non sit, reus tamen dicitur, quandiu in iudicium pro re aliqua petitur. »

4. *Quid intelligatur per verbum Jura?* — Per verbum *Jura* intelliguntur partium probationes, et defensiones, et media ad probandum, vel se defendendum assumpta et producta; uti sunt depositio testium, instrumenta et scripturæ publicæ ac private, juramenta, confessio alterius partis, leges item et canones in vim probationis adducti. Pech. ad hanc reg., num. 4.

5. *Et quid per verbum obscura?* — Per verbum *obscura* intelligitur, seu obscura jura

esse censentur, quando probationes, instrumenta, documenta, argumenta in partibus pro et contra producta ita sunt constituta, ut consideratis considerandis iudex prudenter discernere non valeat, sed merito dubius hæreat, pro quam parte genuina veritas et justitia militet. His notatis

6. *Verus sensus regulæ quis?* — Resp. ad quæstionem, n. 2, positam, regulam in sequenti sensu, qui genuinus et verus est, intelligendam esse: si partem jura, id est, earum probationes et allegationes non sunt satis claræ seu manifestæ, sed dubiæ et obscuræ, seu ita constitutæ, ut iudex æquo animo consideratis considerandis prudenter discernere non possit, quænam prævaleant, aut pro qua parte justitia magis militet, reo potius, quam actori favere, consequenter illum a petitione auctoris absolvere debemus. » Per jura clara, n. 1, allegata.

7. *Declaratur exemplis juris.* — Declaratur juris exemplis: sic enim si duo iudices ordinarii super eadem causa cognoscant, et unus reum absolvat, alter vero condemnet eundem, quia jura censentur obscura, absolutoria sententia rei ob favorem ejusdem præferenda est, l. *Inter pares*, 38, ff. *de Re judicat.*, et l. *Arianus*, 47, *de Obligat. et action.* Dynus in hanc reg. n. 2. Sic pariter si ago contra Titium hypothecaria actione, et probo rem mihi esse obligatam a domino: Titius vero probet, illam rem sibi eodem die a domino fuisse obligatam, consequenter quinam prius vel posterius non appareat, sed obscurum maneat, Titius tanquam reus absolvendus est, l. *Si debitor*, 10, ff. *de Pignor.* Sic in aliis causis civilibus, si partium jura præfato modo manent obscura, semper reo magis quam actori favendum, sicque reus vel statim absolute absolvendus, vel saltem præ actore subinde ad juramentum suppletorium admittendus est in causis dictum juramentum admittentibus juxta dicta lib. II, tit. XXIV, *de Jurejur.*, a n. 191.

8. *Ratio regulæ, et sensus illius.* — Præter jura jam allegata ratio universalis est, quia reus invitus, et perierumque inopinatus, et impræparatus in iudicio comparere debet: cum e contra actor prius cunctis sibi necessariis et conducentibus jam prævisus reum adhuc impræparatum ad iudicium inopinato citari faciat, sicque plus illi, quam huic favore æquitas postulet, uti cum aliis in hanc regulam observat Barb., n. 3, præsertim cum suadente humanitatis ratione jura prompta

tiora sint ad absolvendum, quam condemnandum, cit. c. *Ex litteris de probat.*

9. *Solvitur objectio.* — Objicitur contra regulam: l. *Si quis intentione*, 66, ff. *de Judic.*, jubemur petitionem ambiguum actoris in favorem ipsius interpretari; ergo non semper reo, sed etiam actori in dubio favendum est. Respondet Glossa, hanc legem intelligendam esse de initio causæ, non de fine ipsius, quando agitur de ejusdem decisione, circa quam observanda est regula XI. Verum Barb., loc. cit. cum aliis rejecta opinione Glossæ merito censet, regulam ab initio, in medio et fine iudicii esse observandam, cum non loquatur de claritate vel obscuritate petitionis ab actore factæ (quam utique non in illius odium, sed favorem interpretari oportet, arg. cit. l. *Si quis*.) sed de iurium ab utraque parte productorum obscuritate post sufficientem discussionem adhuc remanente, volens, ut hac stante semper reo potius quam actori faveatur per concordantia jura n. 1, citata.

10. *Fallit regula in causis favorabilibus.* — Quæritur II. An et quæ dentur fallentiæ contra regulam? Resp. Eam fallere primo in casu quo actor fovet causam favorabilem, puta, pro matrimonio, libertate, dote aut testamento; in hujusmodi enim casibus stante dubio actori potius quam reo favendum est, Barb., hic n. 4, c. fin. *de Sentent. et re judicat.* juncto c. *Ex litteris de probat.* et aliis iuribus citatis a Glossa hic, quæ hosce duos versiculos addit:

Stat testamentum, libertas, conjugium, dos,
Si sunt æquales, qui producuntur utrinque.

11. *Item in causis piis.* — Fallit secundo in omni causa pia, si eam tuetur actor juxta Tiraquel. *de Privileg. piæ causæ privil.* 146, cum seqq.; Barb., loc. cit. Ratio est, quia causæ piæ etiam inter favorabiles causas veniunt.

12. *Et si actor in possessione. In pari causa potior est conditio possidentis.* — Fallit tertio, si actor est in possessione: in hac enim et ipse tuendus est, donec de iure partis adversæ constet, c. *Ex litteris*, 3, §. *Quod si, de Probat.* et l. fin. c. *de R. V.* Ratio est, quia in possessione existens actor præter jura, quæ cum reo paria habere censetur, etiam militante pro se gaudet regula 65, juris in 6, « In pari causa potior est conditio possidentis. »

REGULA XII.

IN JUDICIIS NON EST ACCEPTIO PERSONARUM HABENDA.

1. *Regula unde desumpta?* — Hæc regula conformis est præcepto divino *Deut. I, 16, 17*, ibi: *Quod justum est judicate, sive civis sit ille, sive peregrinus: nulla erit distantia personarum, ita parvum audietis, ut magnum, nec accipietis cujusquam personam: quia Dei iudicium est.* Et traducta videtur ex c. *Novit. §. Cæterum de Judicis*, et c. *Statutum*, 11, § *Insuper.* et seqq. *de Rescript.* in 6, ac c. 1, *de Sentent. et re judicata*, in 6.

2. *Quid intelligatur in regula per verbum in Judiciis?* — Quæritur I. Quomodo hæc regula intelligenda, et quis verus illius sensus sit? Resp. I. Verbum *in Judiciis* in hac regula sumitur in lato sensu, ita ut nomine iudiciorum intelligantur non tantum discussio et definitio causæ inter actorem et reum controversæ, sed etiam alii actus, quibus examinantur et iudicantur personarum jura, merita, qualitates in ordine ad justitiam tam distributivam quam commutativam administrandam: in quo sensu vi regulæ reprobatur acceptio personarum non solum quando juxta justitiam commutativam discutitur et iudicatur causa inter actorem ac reum, sed et si discutuntur et iudicantur jura, merita, qualitates, habilitates, etc., ad servandam justitiam distributivam in conferendis beneficiis, officiis, dignitatibus, imponendis pro bono publico communibus oneribus, etc., in quibus, uti in illis non est habenda acceptio personæ, seu non sunt attendendæ qualitates illius ad rem nihil facientes vel conferentes, sed id tantum, quod juxta jura, æquitatem et exigentiam rei, pro causa vel objecto pius, minusve servit, uti cum aliis bene observat Dynus, hic n. 7; Barb., hic n. 3; Strein, hic n. 4; Vincentius Tauino ord. min. reform. glossator regularum juris solidus et clarus, hic n. 8 et magis patebit ex num. sequenti.

3. *Acceptio personarum quid?* — Per Acceptio personarum intelligit, et reprobatur regula illud vitium, quo aliquid, quod exigente justitia debetur uni, confertur vel adjudicatur alteri non intuitu juris vel meritum hunc præ illo magis dignum vel aptum facientium, sed ob aliquam personæ conditionem, aut qualitatem, quæ ad id, quod confertur, prorsus nil facit vel confert, v. g. quia pulcher, quia affinis, quia consanguineus est: sic committitur acceptio personæ contra regulam, si iudex ei contra æquitatem adjudicat causam, quia illius affinis est; cum affinitas prorsus nil faciat ad justitiam causæ: item si quis alicui præ alio longe digniore confert parochiam, quia ejus consanguineus est; quia consanguinitas nil confert ad parochiam: item si quis alicui præ alio longe utilior confert officium publicum, a quo bonum commune multum dependet, quia amat illum, vel reciproce quia æstimatur aut amatur ab illo; cum nec passivus nec activus amor horum quidquam faciat ad officium publicum, uti bene advertunt doctores in præced. citati, estque in re etiam communis theologorum acceptionem personarum sic explicantium.

4. *Quando non exigente justitia, sed ex mera libera voluntate quid confertur, potest sine acceptione personarum una præ alia respici.* — Notanter autem dicitur, quod « exigente justitia » commutativa nempe, vel distributiva, « debetur uni; » quia in casu, quo quis non ex justitia, sed ex mera gratia et libera voluntate aliquid v. g. elemosynam tribuit, vel distribuit, non committit vitiosam acceptionem personarum, si unam personam v. g. consanguineam, gratam, amatam præ alia respicit, uni nil vel minus aut plus quam alteri largitur, vel largiri facit, uti cum sancto Thomas, 2, 2, q. 63; Sylvestro, §. *Acceptio personarum* et aliis advertit Barb., hic n. 4, id bene declarans exemplo divino. Sic enim ait: « Quia Deus non ex debito justitiæ, sed ex mera gratia, bonitate et benignitate dona sua et gratias prout vult, distribuit (si enim ex justitia esset debitor gratiæ, jam gratia non esset gratia) non dicitur acceptor personarum, quando præfata dona sua diversimode, uni multa et magna, alteri modica et pauca, uni duo, alteri quinque talenta pro divino beneplacito suo distribuit; » uti patet ex textu Evangelii apud *Matth. xx, 15*, *Aut non licet mihi, quod volo, facere.* Hinc:

5. *Verus sensus regulæ quis?* — Resp. II. Verus sensus regulæ hic est: « In Judiciis, seu, quando ex justitia commutativa, vel distributiva aliquid iudicandum vel distribuendum est, non est, habendus respectus vel acceptio personarum, hoc est, non debet id, quod exigente justitia uni debetur, alteri adjudicari vel tribui intuitu alicujus conditionis vel qualitatis in persona repertæ, quæ ad justitiam causæ, quæ iudicatur, vel ad rem, quæ tribuitur, nihil facit aut confert. »